



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio IV. Vtrùm Quantitas distinguatur à rebus quantis realiter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. IV. Vtrum quantitas disting. &c. 579

terminus temporis quoque similis ratio est, cui dividendo si velimus terminum dare, dicamus modo, modo autem inter præteritum, & futurum tempus ita confusum est, ut incertum sit quo debeat separari; locus autem quomodo corpus quodcumque circumdat, & corporis partibus occupatur, ita communi termino partitur, quemadmodum partitur corpus, ac propterea cum necesse est coherentem ut cætera nominari.

16 Separata quanta verò sunt numerus, & ratio; quis enim advertat proprijs terminis vnum separatum esse à duobus, duos à tribus. Et in oratione singulæ syllabæ separatæ sunt, natura enim, & numero segregantur, cum alteram brevem, alteram longam, & vnam licet duas dicimus nimirum apparent hæc, quæ diximus, & ad quantum pertinere, & separata oportere nominari.

17 Proprie igitur hæc sola, quæ dicta sunt quanta nominantur; si qua vero præter hæc inveniri poterint, debent pro accidentibus poni: sunt autem quædam, quæ accidentibus ipsis accidunt, ut si dicamus multum album; propterea multum album dicitur non quod ipsum album sit immensum, sed quod epiphania, in qua album est, multa cernantur. Manifestum est igitur cum multum album dicitur ex epiphaniæ quantitate album, quod illi accidit æstimari similiter cum longos actus dicimus, non quod actus immensi sint longi dicuntur, sed ex temporis mensura, quo continentur actus actuum quantitas æstimatur. J sic Divus Augustinus. Has divisiones mirabiliter proponit eius verbis, nihil addendum operæ pretium duxi, ne autem infertum vertamus quo Antimidas ab omnibus appeller.



QVÆSTIO IV.

Vtrum Quantitas distinguatur à rebus quantis realiter.

SECTIO I.

Sententia Adversariorum explicatur.

PRIMA sententia est Nominalium, asserentium quantitatem molis non distinguere realiter à substantia, qualitatibus, & cæteris quantis; unde tot in rebus constituunt quantitates, quot sunt entia corporea substantia, & accidentia, cum quibus identificantur; quare in individuo, v.g. lapide ponunt illam quantitatem pro eius materia prima, ita ut illam entitas vocetur materia quatenus est substantiale subiectum; vocatur autem quantitas, quatenus habet partium extensionem, & aliam pro forma, alteram pro albedine in illo excedente, & aliam pro vbi, & sic pro omnibus accidentibus corporeis, hoc tamen pacto, ut vnaquæque harum entitatum per se ipsam habeat hanc molem, & extensionem partium impenetrabilium, quæ est in corporibus. Ita sentiunt Gabriel in 2. dist. 10. Maro in 2. dist. 12. q. 2. Ocham in 4. q. 4. & quodlibet 4. q. 29. vbi ad 3. Aureo in 2. Alber. de Saxonia, & alij: probatur hæc sententia.

Primo, quia sine vrgenti necessitate non sunt multiplicandæ entitates reales, & distinctæ in re. R. P. Ildeph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

rum natura, sed sufficienter absque distinctione reali quantitatis à substantia, & reliquis accidentibus corporeis salvari possunt, effectus, & numeri quantitatis: ergo. Secundo quia substantia per se ipsam est receptiva contrariarum qualitatuum; imo hoc est maxime illi proprium teste Aristotele in prædicament. cap. de substantia: ergo non mediat inter substantiam, & qualitates res distincta quæ sit quantitas, alias etiam illa esset susceptiva contrariarum ex maiori ratione, quia immediatius in se susceperet.

Tertio, nam si quantitas est res distincta à substantia: ergo poterit Deus eas separare, & substantiam materialem sine illa quantitate conservare: sed substantia sic conservata esset quanta: ergo impossibile est quantitatem esse rem distinctam à tali substantia. Consequentia patet, tum quia si substantia retinet esse quantum sine illa entitate: ergo nihil est quod ei possit conferre talis entitas, tum etiam quia effectus formalis non potest manere sine forma: ergo si esse quantum manet sine illa quantitate: ergo nihil est quod ei possit conferre talis entitas: ergo non est effectus formalis eius: ergo neque ipsa aliquid est. Maior vero patet ex dictis supra de distinctionibus in communi, & quia nulla potest fingi essentialis dependentia inter illas duas res, ut non possit vna sine alia conservari; & quia si Deus conservat accidens realiter distinctum sine substantia, multo magis poterit conservare substantiam sine quolibet accidenti realiter distincto. Minor vero probatur, nam illa substantia haberet partium distinctionem, quia non possunt quæ distincta erant in vnam simplicem entitatem coalescere, haberet etiam eam unionem, quia non posset esse divisa in omnem suam partem. Haberet denique localium partium situm, cum propter rationem superioris factam, cum etiam quia posset localiter immota manere, quid enim hoc repugnat? Hæc autem solum sunt, quæ rem quantam reddunt: ergo.

Quarto, quia conservando in materiali substantia omne accidens ab illa distinctum, potest Deus efficere ut illa res non sit quanta: ergo non habet substantia hunc effectum ab aliquo accidenti realiter distincto. Antecedens probatur, quia potest Deus corpus bipedale redigere ad pedalem situm absque corruptione alicuius entitatis, & rursus potest redigere ad semipedalem, ac denique ad punctum, in quo statu non erit quantum.

SECTIO II.

Nostri Sententia proponitur, & auctoritate probatur.

Conclusio: quantitas distinguitur à parte rei à substantia, qualitate, & cæteris accidentibus corporeis. Hæc sententia est iam communis tam inter Theologos, quam inter Philosophos, eam tenet expresse Divus Thomas in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 1. & 3. contra gentes cap. 3. & 3. part. quæst. 77. art. 2.

Est etiam sententia expressa Aristotelis 7. metaph. tex. 8. vbi ait, [longitudo, latitudo, & profunditas, quantitates quidem sunt, sed non substantias] quantitas enim non est substantia, sed magis hæc cui insunt, ut calor quidem inest substantiæ.

D d d d 1

stantia.] Quid clarius: ubi expresse ait quantitatē non esse substantiam, sed potius illam substantiā inherere, sicut calor: atqui calor realiter inheret, educitur, & recipitur tanquam in causa reali, & realiter ab illo distincta: ergo similiter quantitas inheret realiter substantiā tanquam subiecto realiter distincto ab ipso, quod indicant illa absolute prolata verba, quantitas enim non est substantia, id est distinguitur ab illa, quæ distinctio, & negatio, non pro distinctio, & negatione rationis, sed pro reali debet sumi, quia distinctio rationis non est absolute talis. Vnde absolute non potest talis nominari, sicut ens rationis non dicitur absolute ens, sed cum addito, id est, ens fictum, quia inter analogata principalis stat semper pro famosiore: ergo si absolute dicitur ab Aristotele quantitatē non esse substantiam, absolute concedendum est in sententia ipsius, substantiam distingui realiter à quantitate, eandem veritatem docet 3. *met. tex. 17. & 8. met. tex. 6. & 1. Phys. tex. 13.* ubi ait substantiam, & quantitatē non esse unum, sed multa, & 1. *Phys. tex. 33.* ait substantiam non esse per se divisibilem, sed per quantitatē, & lib. 13. *met. cap. 2.* probat latissime eodem modo distingui à substantia, ipsique comparari posse quantitatē, ac albedinem: atqui albedo distinguitur realiter à substantia: ergo & quantitas, idem intentum probat etiam lib. 14. *metaph. latissime.*

7. Secundo probatur auctoritate Ecclesiæ, nam in decreto de consecratione, distinctione 2. cap. panis. El segundo habetur: [Panis est in altari vitatus ante verba Sacramentorum, ubi accessit consecratio de pane fit caro Christi.] Et paulo post: [Et sic quod erat Panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem, quia sermo Christi creaturam mutat, & sic ex pane fit corpus Christi,] definendo nimirum panis, quod ut fide tenendum definit Tridentina Synodus sessione 13. canone 2. his verbis: [qui dixerit in Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini, una cum corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi, anathema sit.] Quod etiam definitur in Constantiensis sessione 13. & Basiliens. 30. & in Florentino in decreto Eugenij.

8. Capite autem ubi pars (eadem distinctione de consecratione) sic habetur: [Vbi pars est corporis est & totum, eadem ratio est in corpore Domini, quod in manna, quod in eius figura præcessit, de quo dicitur, qui plus collegerat, non habuit amplius, neque qui minus paraverat invenit minus, non est omnino quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio: sed virtus Sacramenti spiritualis:] prosequitur cap. Corpus, his verbis: [corpus Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis, & vinum extra videtur, veritas autem dum corpus, & sanguis Christi in veritate interior creditur:] quæ eadem verba habentur etiam in capite in Christo, eadem distinctione 2. de consecratione, ubi cuius sit quantitas illa, de qua dixerat cap. Vbi pars non est omnino quantitas visibilis, satis aperte declarat, dicendo esse substantiā panis, & vini, illis verbis: [dum panis, & vinum extra videtur:] nam quod in vno capite, & in altero capite, & in altero casu, vocat panem, ac vinum, quia quod videtur per se, quando nobis obijcitur panis, & vinum non est substantia illorum: sed quantitas visibilis utrius-

que, præcipue post consecrationem, ut est casus de quo loquitur caput citatum; vnde in illis, & alijs capitibus, tanquam synonymis virtut decretum panis, & vinum extra visum quantitas visibilis species sacramentalis, ac si diceret, ne fallatur aliquis exteriori apparentia dum panis, & vini quantitas visibilis extra videtur, nec est pensandum Sacramentum tali aspectu: sed virtute spirituali Sacramenti, ratione cuius, verum corpus, & sanguis Christi sub tali quantitate existit; quæ omnia consonant cum Decretis Concilij Tridentini, sessione 13. canone 2. Concil. Florentini. in Decreto Eugenij. Constantien. sessione 8. Lateranens. in cap. firmiter, de summa Trinitate; item cum alijs Decreti capitibus de consecratione dicta distinctione 2. ut cap. quia corpus, cap. quia passus, cap. revera, cap. sanguis, cap. hoc est, cap. verum sub figura, omnibus enim his Conciliorum, & decreti locis habentur omnia sensibilia, quæ species vocantur remanere post consecrationem, ac antea; vnde quantitas, qualitates, &c. sensibilia panis, & vini remanere sine substantia panis, & vini quorum accidentia sunt.

Ex quibus sic argumentor. Ecclesia decernit quantitatē panis, & vini manere post consecrationem realiter sine substantia panis, & vini, ut constat ex ponderatione illorum verborum non est omnino quantitas visibilis, &c. ergo. Ex illis locis aperte constat quantitatē panis, & vini distingui realiter à substantia illorum, quia idem non potest esse sine se ipso, alias eodem desinente, idem remaneret; vnde idem esset, & non esset simul, quod est contra evidentissimum principium, impossibile est idem simul esse, & non esse; quo argumento præclusus est aditus solutioni nominalium, negantium quantitatē substantiæ panis manere in Eucharistia post consecrationem, quia non manet inquit intrinseca extensio, & situalis præsentia partium substantiæ panis: sed manere dicunt quantitatē albedinis, & aliarum qualitatū. Hoc inquam effugium non valet, quia ut dixi nostro argumento iam est funditus labefactum, nam in dictis capitibus dividitur aperte manere quantitatē visibilem panis, & vini, non manentibus realiter eorum substantijs; vnde licet dicta expositio poterat tribui Concilio de Trento, quod non ita expresse in hac materia loquitur, attamen dicto cap. ubi pars, & cap. corpus, non potest applicari, quia expresse asserunt quantitatē panis, & vini manere destructo pane, & vino.

Deinde ista solutio sic impugnatur, quia licet 10 Concilia indefinite dicant manere sensibilia seu ut ipsa loquuntur species panis, & vini, tamen in huiusmodi locutionibus, quæ doctrinales sunt indefinita æquivalent universali; vnde idem est dicere species panis, ac vini manere, ac omnia sensibilia ad panem, ac vinum pertinentia manere, tum quia ad rationem Sacramenti necessarium fuit, ut signis sensibilibus Christus manere sub alienis speciebus, ut fides conservaretur, & exerceretur proprijs sensibus divinam auctoritatem præferendo, propter quod Sacramentum hoc quasi per Antonomasiā dictum est mysterium fidei, quia in eo aliud videtur, & aliud traditur, ut dicitur in cap. cum Marthe, de celebrat. Missarum; vnde & vile fuit, ut hoc mysterium in delibus esset occultum, ad hæc autem omnia satisficiant, & aptiora sunt eadem numero sensibilia.

Quaest. IV. Vtrum Quantitas distin. &c. 58 I

lia, eademque numero species, quæ in pane, & vino extiterunt; imo & necessarium videbatur esse nullam fieri mutationem in illis, ne oculis talis mutatio videretur, & sic congruentius fuit illa eadem conservari, quam illis destructis, alia omnino similia sine subiecto creari, & fuit etiam hoc magis expediens ad veritatem conversionis, ut aliquid utriusque termino commune maneret, ac denique ipsa verba formæ hoc indicant, & ad suam veritatem requirunt ut pronomen *hoc*, possit aliquid individuum sensibile designare, quod in principio, & termino prolationis idem sit saltem per habitudinem ad eadem sensibilia; unde ut certissimum tenendum est, & fide sanctum venerandum, ablata substantia panis, & vini post consecrationem, manere omnia pertinentia ad substantiam panis, & vini, quæ per se possant sensibus percipi, ut hoc probant omnia Concilia supra adducta, & communis Sanctorum Patrum auctoritas persuadet, & experientia ipsa, quæ necessaria fuit, ut mysterium fidei esset occultum, quia si aliquid sensibile per se, & pertinet ad panis, & vini substantiam non maneret: ergo posset hoc naturaliter cognosci, quadam naturali, seu morali evidentiâ, nam si ante consecrationem sentiretur, v. g. odor vini, & statim post verba consecrationis prolata non sentiretur, esset humano modo evidens ad præsentiam illorum verborum aliquam realem mutationem ibi esse factam: ergo mysterium consecrationis aliquo modo experimento cognosceretur, quæ ratio potest eodem modo fieri in obiecto cuiuscunque sensus, imo & in communibus sensibilibus, ut in figura, &c. nam de ijs etiam satis evidenter iudicat sensus, præcipue quando sunt satis applicata, & nullum intercedit impedimentum, sed quantitas substantiæ panis, & vini est per se sensibilis secundum Aristotelem, & communem sententiam Doctorum omnium; unde evidenter cognoscitur quantitas per visum, & per tactum esse extensionem secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem, esseque loco impenetrabilem propter expulsionem alterius ab eodem loco, quod evidenter experimur: ergo etiam secundum Concilia debet permanere destructa substantia panis tota quantitas panis; tum ut omnes qualitates haberent corpoream molem, quæ possent occupare locum, tangi, videri, &c. tum ut retinerent in se coniunctionem aliquam, naturalemque unionem.

Denique ut essent loco impenetrabiles, nam si revera habent, ab huiusmodi quantitate habent; nam si hoc per se haberent nulla posset naturalis ratio reddi ob quam duæ albedines in duabus Hostijs consecratis existentes essent inter se loco impenetrabiles, & tamen color, & calor, sapor, & odor in eadem possent in eodem loco penetrari cum sint tamen corporeæ, & extensæ quatuor qualitates, sicut duæ albedines, quæ ratio concludit non habere accidentia quantitatem suam distinctam à quantitate substantiæ.

SECTIO III.

Rationibus ostenditur nostra sententia.

Prima ratio, nulla creatura naturaliter operans, & secundum vires naturales potest creare, quia opus creationis solius Dei est; sed si quan-

titas panis non remaneret post consecrationem à Deo conservata, ut commune subiectum reliquorum accidentium, sequeretur exinde quod calor productus ab agente naturali in Hostia consecrata non produceretur per educationem ex potentia materiæ, qui est modus producendi agentium naturalium, sed per creationem, ac proinde agentia creata naturalia crearent: ergo post consecrationem conservatur quantitas panis, & vini, ut commune subiectum; atqui post consecrationem non manet substantia panis, & vini: ergo substantia panis, & vini distinguitur realiter à propria quantitate, quia idem non potest repetiri sine se ipso, & destrui ipso non destructo.

Maiores est clara, & probatur primo auctoritate Divi Cyrilli lib. 2. contra Iulianum, ubi sic ait efficaciter posse operari, ut creatorem, & producere res, quæ aliquando non erant esse unum ex ijs quæ propria sunt solius, & omnium summæ substantiæ, Dei nimirum.

Secundo ratione sic demonstratur, nam creatio est operatio non supponens aliam actionem, unde est prima in ratione actionis: atqui nulla creatura potest ex natura sua operari actione non aliam primam supponente, quia sicut creatura non habet ex natura sua primam entitatem, cum non sit primum ens, & quando operatur, operetur secundum suam esse, ita non potest habere primam operationem, non aliam supponentem, ut est creatio: ergo nulla creatura potest creare, quæ ratio latius explicabitur *Tractatu de Creatione*.

Deinde, quia ipse modus efficiendi per creationem indicat summam efficientiam, & independentiam in creatore, quia cum ad agendum nullam supponat potentiam realem extra se tantum, requirit potentiam obiectivam, seu possibilem, per non repugnantiam, hoc autem indicat summam vim in potentia activa, ut significavit Athanasius *sermone tertio, contra Arianos*, cum dixit administrare creaturatum, ac fervorem est, condere autem, atque creare solius Dei, & Verbi eius, ac sapientiæ, quod adeo verum est, ut nullus de hac veritate possit dubitare, in casu de quo loquimur, de agente nimirum naturali creato operante secundum vires naturales ipsius.

Minor illa prima, & præcipua in qua est difficultas sic probatur, quia creatio est productio alicuius ex nihilo, id est, nullo præsupposito subiecto, à quo pendeat talis actio, sed si in Hostia consecrata nullum inveniretur subiectum accidentium, ut est quantitas panis & vini, productio caloris, & lucis, & frigiditatis, quæ passim causatur ab agente creato naturali, ut experientia patet operante secundum vires naturales, & ut causa principalis (de quo nullus, nisi ratione inops, potest dubitare) esset productio nullo præsupposito subiecto; unde esset ex nihilo, ac proinde creatio: ergo productio caloris, vel lucis, &c. in hostia consecrata causata ab agente naturali, tanquam à causa principali est creatio. Hæc minor sic probatur, quia talis productio caloris non habet pro subiecto albedinem, vel saporem, cum nulla qualitas in alia recipiatur, nec ex potentia illius educatur, nec ibi datur substantia panis, nec quantitas ipsius quæ possint esse subiectum talis actionis, nec substantia, & quantitas Christi est subiectum illius, ut de se patet: ergo talis actio fit nullo præsupposito subiecto: ergo ex nihilo, unde creatio.

Dddd 3 Dices

Dices ibi suppleri à Deo subiectum, quemadmodum supplet subiectum, in quo debeat esse quantitas.

- 17 Contra, quia licet Deus possit supplere causalitatem quam habet subiectum in ordine ad accedens productum conservando illud independentem ab omni subiecto, implicat tamen contradictionem ut suppleatur causalitas materialis quam habet subiectum in ordine ad actionemeductivam, quia cum actioeductiva accidentis sit productio illius inherenter, & dependentem à subiecto in quo sustentetur, implicat etiam de potentia absoluta posse educi accedens absque subiecto sustentante actionem: ergo non potest Deus supplere vicem causalitatis materialis.
- 18 Declaratur amplius, quia quando supplet Deus subiectum illud ut talis caloris productio, siteductio, vel est per suam ipsam entitatem, ita ut talis calor educatur ex entitate divina, & hoc est hereticum, quia entitas divina nullam habet potentiam passivam, ut ex tali potentia divina educatur calor, quiaeductio est dependentia inesse, & fieri à subiecto recipiente passivo, quod horrendum, & monstruosum est Deo tribuere.
- 19 Vel supplet Deus ponendo ibi aliud subiectum, de quo interrogo an sit quantitas substantiæ, vel ipsa substantia panis, aliud enim subiectum non potest excogitari præter illa duo; si primum, habeo intentum, quia iam remanet in Eucharistia quantitas panis sine pane. Secundum non potest dici, quia hæresis damnata est in Concilio Tridentino *sessione 13. canone 2.* ergo aut debet confiteri veritatem nostræ conclusionis aut asserere talem actionem esse creationem, quia ex nullo præsupposito subiecto, (à quo dependeat inesse, & fieri receptive) calor productus per illam actionem est quod adeo necessarium est ad educationem, ut sit essentia, & definitio illius.
- 20 Dices tale supplementum Dei esse, ut actio sit sine subiecto in quo recipiatur.
- 21 Contra: ergo tale supplementum Dei est ut actio illa sit creatio, nam cui convenit definitio convenit essentia definiti: sed in illo casu illa actio esset sine præsupposito subiecto, quæ est definitio creationis: ergo in illo casu esset creatio illa actio.
- 22 Respondet Hurtado his verbis, omnes qualitates in Eucharistia creari; qui nulla ex illis inest quantitati (si hæc à materia, & qualitatibus realiter distinguitur) neque unquam Aristoteles eam sententiam indicavit, nam tota essentia quantitatitatis, & eius munera sine ea causalitate percipiuntur, neque vero parci esse debemus in miraculorum multiplicitate in eo mysterio in quo præpotens Deus, ut ostenderet suum in natura principatum, & à legibus immunitatem memoriam fecit mirabilium suorum.
- 23 Sed contra evidenter, quia Hostia consecrata non est incapax, ut naturaliter alteretur, subiecteturque actionibus naturalis agentis operantis ut causæ principalis, nam quis potest negare Hostiam illam tangi naturaliter, videri à quocunque ut à causa principali, odorari, moveri in hoc consistit defectus ille sensuum quem canit Ecclesia dum dicit.

Præter fides supplementum sensuum defectuum.

Quia cum naturaliter sensus, & potentie naturales operentur in illas species sacramentales, ac si esset in tali hostia substantia panis, in qua tan-

quam causa principalis operabatur sine aliquo impedimento, inde evenit ut intellectus manu ductus per sensus fallatur, indigeatque lumine supernaturali fidei, ut ex tali exeat fallacia, unde certissimum est hostiam consecratam non solum esse obiectum operationum vitalium emanantium à videntibus, tangentibus, & sentientibus illam tanquam à causis principalibus: sed etiam certissimum est esse subiectum operationum transeuntium, quæ proficiscuntur ab agentibus naturalibus tanquam à causis principalibus, ut videre est in motu locali, qui proficiscitur à Sacerdote naturaliter, & principaliter movente sursum, ac deorsum, elevanteque ac deprimente talem hostiam, quod etiam certissimum est de alijs operationibus ut de calefactione, illuminatione dum consecratur loco obscuro, & educitur ad lumen solis frigectione, & cæteris, quia non est maior ratio in his operationibus, ac de motu locali, quia si istæ sunt transeunt, hic etiam transiens est, unde si à creatura potest moveri localiter Hostia, ut à causa principali, etiam sine dubio poterit illuminari à sole, & calefieri ab igne, & frigesieri à nive tanquam à causis principalibus, imo si non posset illuminari tanquam à causa principali à vidente; sed hoc est falsum, & absurdum inaudum: ergo, & illud dicere similiter est falsum, & absurdum. Patet sequela, quia quando ratio formalis alicuius obiecti, non est naturalis, sed supernaturaliter acquisibilis, etiam cognitio tendens in illud obiectum debet esse supernaturalis, ut patet in visione Beatica, & in amore Theologico Dei, & in fide divina, quæ ideo sunt operationes supernaturales, quia obiecta formalia illorum supernaturalia sunt: sed lux ex parte obiecti cum sit sensibile proprium visus, constituatque illud visibile est obiectum formale, aut terminativum, aut motivum visionis: ergo si talis lux in hostia consecrata solum supernaturaliter producit, solum supernaturaliter talis Hostia erit visibilis: ergo solum supernaturaliter videbitur, cum tota ratio visionis ut sit naturalis, vel supernaturalis debeat sumi ex naturalitate, vel supernaturalitate visibilitatis, sicut supernaturalitas visionis beatificæ ex supernaturalitate visibilitatis Dei sumatur, cum cognitio specificetur à cognoscibilitate obiecti: ergo si falsissimum est dicere hostiam consecratam videri non naturaliter, sed supernaturaliter, consequens falsissimum erit dicere hostiam consecratam supernaturaliter, & non naturaliter illuminari à sole, cum illuminatio hostiæ constituat hostiam illam in esse visibilis, quare fatendum est necessario lucem, calorem, & cætera accidentia naturaliter produci in hostia consecrata ab agentibus naturalibus, tanquam à causis principalibus, ex quo sic argumentor; talis lux, & calor, producantur sine subiecto, quia nullum est ibi ex cuius potentia educantur, cum nec sit substantia panis, nec quantitas illius; unde per vos sunt per creationem, & creantur à talibus agentibus: ergo talia agentia naturaliter creant producuntque per creationem, tanquam causæ principales, quod est summum absurdum, ut patet ex dictis, & ex latius dicendis *Tractatu de Creatione.*

Dices, quod lux, & calor creantur ibi à Deo tanquam à causa principali, & à creatura tanquam ab instrumentali.

Sed contra primo, quia redeunt omnia argu-
menta

Quaest. IV. Vtrum quantitas disting. &c. 583

menta superius facta de visione calefactionis, &c. cum ibi instrumentum operetur supernaturaliter lucem, & calorem, quod contradicunt argumenta nuper facta. Secundo certius, & evidentius est nos movere localiter Hostiam consecratam posse illam illuminari, & calefieri, & frigeri ab agentibus creatis, quam quod possit dari instrumentum creationis, primum enim certissimum, & evidentissimum est experientia, hoc secundum maxime dubium inter Theologos. Vnde propter hanc opinionem solum non potest dici in talibus operationibus nos operari ut instrumenta Dei, praecipue, quia talis hostia ita sensibilis est, & tam subiecta alterationibus naturalibus post consecrationem, ac ante illam; vnde si ante poterat calefieri, moveri, & illuminari à creaturis ut à causis principalibus, nunc etiam debet ita subijci, cum autem non possint talia agentia creata creare accidentia in tali hostia, dicendum est educere illa ex quantitate panis, quae ibi manet separata realiter à substantia panis; ex quo evidenter sequitur talem quantitatem realiter distinguì à substantia illius.

26 Deinde, licet non debeamus parci esse in multiplicatione miraculorum, quae sunt, aut fieri docet fides, ex vi consecrationis, vel formaliter, vel concomitantem, attamen respectu cuiuscunque agentis naturalis, ut calefacientis, videntis, moventis, & illuminantis hostiam, non solum parci, & parcissimi, sed quod maius est absolute negantes debemus esse omne miraculum, quia in hoc casu irrationabiliter concederetur; memoriam enim fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus in hoc Sacramento, sed hoc verificatur in transubstantiatione, in reproductione corporis Christi, ponendo illud indivisibili modo in conservatione accidentium sine subiecto, attramen in hoc quod videatur hostia ab oculis, in hoc quod illuminetur à sole, moveatur localiter, & calefiant species sacramentales nullum est miraculum, imo potius pro miraculo, & pro supernaturali prodigio habetur, quod talis hostia non videatur ab aliquo lethali noxa infecto, ut de aliquibus historiis narrant, vnde in his rebus minime supernaturaliter operantur creaturae, ut instrumenta miraculosa, sed potius naturaliter, & ut causae principales, ut iam probatum est; quo funditus labefactatur solutio adversariorum eorumque sententia.

27 Secundo probatur, quia si quantitas non distingueretur à substantia, & qualitatibus in mysterio Eucharistiae, omnia accidentia panis, & vini perseverant post consecrationem essent invicem disjuncta, neque in aliquo subiecto communi unita: sed hoc est absurdum propter multas rationes, & quod non distinguatur realiter quantitas à substantia, & qualitatibus corporis. Antecedens ita ostenditur, quia in primis non uniuntur inter se immediate, ut actus, & potentia, quia albedo non est actus, nec potentia caloris, neque calor albedinis, nec etiam uniuntur inter se ut partes integrales per modum continuationis sive secundum extensionem, vel intentionem; tum quia res diversorum praedicamentorum non ita uniuntur; tum etiam, quia non est imaginabilis terminus sive coniunctivum aliquod, quod ex natura, & quidditate sua ordinetur, & vim habeat ad res tam diversas copulandas. Deinde nec essent unita in aliquo subiecto communi, quia vel hoc esset quantitas, vel substantia; non substantia, quia haec

per verba consecrationis conversa est in substantiam corporis, & sanguinis Christi, quae nullo modo est subiectum accidentium panis, & vini; neque quantitas, tum quia omnia accidentia habent peculiarem, & propriam quantitatem in sententia adversariorum, quae quantitas ab illis re non differt, & una non recipitur in altera, tanquam in subiecto nisi velint concedere naturaliter penetrationem duarum quantitatum, quod abhorret Philosophia; tum etiam, quia quantitas substantiae panis, & vini non remanet: ergo dicendum est accidentia panis, & vini, quae remanent post consecrationem esse invicem disjuncta, neque in aliquo subiecto communi unita, quod experientia, & visione evidenti oculorum patet falsum esse, cum videat unita omnia quae in hostia consecrata sunt. Deinde probatur minor, quia in primis ex maiori concessa sequitur omnia illa accidentia existere per se, & extra subiectum, multiplicandaque esse plura miracula sine urgenti necessitate mysterium Sacrosanctae Eucharistiae haereticorum irrisionibus apparenter exponendum.

Tertio cum Patre Suarez ita argumentor, quia 27 videmus in substantia materiali multas res in se extensas, esse ita inter se coniunctas ut intime penetrarentur, simulque in eodem spatio existant absque ulla repugnantia inter se: rursus, videmus unam substantiam corpoream, & unam partem integram eiusdem corporis repugnare alteri in eodem spatio, ita ut non possint se se penetrare: ergo necesse est, ut hic effectus, & haec repugnantia proveniat ab aliqua re distincta à substantia, & qualitatibus, quandoquidem haec sola inter se non habent illam repugnantiam, dicunt adversarii hanc repugnantiam corporum, vel partium corporalium inter se in eodem spatio provenire quidem ex quantitate materiae, & substantiae, quae hanc habet naturam, ut cum quantitate formae, vel materialium qualitarum non repugnet, sicut nec ipsae qualitates inter se repugnant inter se esse in eodem loco, ut vapor, & color.

Sed contra primo, quia hostia consecrata ita est 28 quanta, & extensa in suo loco, ut naturaliter non possit in eodem simul esse, aut penetrari cum alia hostia consecrata, aut cum quovis alio corpore; hoc autem provenire non potest ex sola quantitate albedinis, vel aliarum qualitarum: ergo provenit ex quantitate substantiae panis, quae remanet in hostia illa post consecrationem, non remanente substantia ipsa panis; vnde falsum erit asserere adversarios dicentium, tum non remanere illam, tum non distinguì realiter à substantia, cum separatio unius ab altero sit signum evidens distinctionis realis inter illa. Probatur minor, quia qualitates cum sua propria, & ut ita dicam entitativa extensione penetrabiles sunt per vos, tam inter se, quam cum quantitate substantiae panis, simul enim cum illa erant in eodem situ: ergo eadem ratione sunt penetrabiles in eodem spatio cum quibuscunque alijs qualitatibus, & cum quacunque substantia; si nihil aliud est: ergo vel dicendum est species consecratas ex se non repugnare simul esse in quocunque loco cum alio corpore: sed Deum solum speciali virtute id impedire ne mysterium pateat, quod satis absurdum est, debetque sine dubio ludibrium hominibus scientia imbutis; vel fatendum est manere in accidentibus consecratis rem aliquam ex natura sua repugnantem, & loco impenetrabilem cum alijs substantijs,

substantijs, hæc autem nulla alia esse potest nisi quantitas substantiæ, ratione cuius una substantia corporea est naturaliter impenetrabilis loco cum alia: ergo.

- 29 Secundo contra solutionem sic arguo, quia vel quantitates formæ, & qualitates sunt veræ, ac univocæ quantitates cum quantitate materiæ, vel non: sed tantum dicuntur quantitates per quandam proportionem, quia nimirum coextenduntur quantitati materiæ, ita ut sola materia intelligatur per se, quanta reliqua per ipsam, quatenus in illa extenduntur. Si primum dicant hi auctores, ut revera videntur dicere, sine ratione constituunt illam differentiam inter quantitatem materiæ, & formarum, cum de ratione veræ quantitatis sit conferre hanc molem rei quantæ, & deinde non salvant mysterium, nam videmus quantitatem albedinis habere illammet naturam expellendi corpus aliud ab eodem loco, & reddendi ipsas partes albedinis impenetrabiles in eodem loco. Si autem dicerent secundum magis consequenter loquerentur, stando in sola ratione naturali, mysterium tamen nullo modo salvari posset, nisi fingendo continua miracula, quia necesse est fateantur, nullam veram quantitatem manere in accidentibus consecratis, & consequenter neque rem ullam, quæ illa reddat loco impenetrabilia, tam cum malis corporibus, quam cum suis partibus integralibus inter se. Deinde, quia in ratione naturali est satis voluntarie dictum materiam solam habere quantitativam extensionem per se, & per puram entitatem substantialem suam; alio vero omnia, quæ in materia insunt esse quanta per accidens, & absque propria quantitate.

- 30 Tertio argumentor retorquendo primum fundamentum adversariorum, quia sine urgente necessitate non sunt multiplicandæ entitates in rebus: sed unica solum quantitas in quolibet individuo subiecto substantiali sufficit, ut per illam tam substantiam quam accidentia, quæ illi insunt habeant extensionem secundum molem: ergo non sunt ponendæ tot quantitates in quolibet individuo subiecto substantiali corporeo, quot sunt entia corporea, quæ illi insunt. Minor probatur, quia sufficienter intelligi potest substantia corporea, primo, & per se extensa per quantitatem immediate receptam in illa, & reliqua accidentia secundario, quia immediate inherendo soli quantitati ab illa etiam extensionem eandem participant: ergo. Ex quibus colligo de ipsa nominalium sententia posse verificari adagium illud; incidit in scillam, cupiens vitare caribdim, & ut Hispanice dicitur, *Huyendo de la sarten, dio en las brasas*, siquidem dum totis viribus remis, velisque fugiunt multiplicare unam quantitatem solam distinctam à substantia, & qualitatibus, multiplicent tot quantitates distinctas realiter à substantia, quantitate eius, & qualitatibus, & cæteris accidentibus; unde renuentes trepidantesque concedere unam, argumentorum vi coacti, pene innumeras sine metu concedunt.

- 31 Urgetur, quia nulla maior ratio datur, ut multiplicentur quantitates ad multiplicationem accidentium, & substantiæ, ac datur ad multiplicationem motuum localium pro multiplicatione omnium accidentium existentium in hostia, & in homine; imo maior ratio datur, ut motus localis multiplicetur pro multiplicatio-

ne entitatum, & nihilominus ipsi nominales non lunt multiplicare motus locales per se, quia sufficit, inquit, unus motus ad omnes: ergo similiter, imo à fortiori non debent multiplicari tot quantitates: sed sufficit quantitas substantiæ ad omnes.

Ultimo probatur, quia si quantitas substantiæ est idem cum substantia; interrogo, an sit idem cum materia, an cum forma, an cum toto? Non cum materia, nec cum forma sola, quia utraque est natura sua ita composita in sua entitate, ut apta sit extendi in loco secundum partes: ergo hanc extensionem à quantitate non accipiunt, neque est idem cum utraque, nam iam duæ illæ quantitates materiæ, & formæ se penetrarent. Dices non esse inconveniens, quia illæ quantitates sunt partiales, ex quibus una totalis resultat quantitas, quæ sola cum alia integra quantitate nequit penetrari.

Sed contra primo, quia compositio hæc ex partibus, quæ se habent, ut actus, & potentia, plene repugnat formæ accidentali qualis est quantitas, quia omnia accidentia sunt simplicia, quantum ad compositionem essentialem, nec quantitas in alia potest recipi, & sicut non datur in anima una albedo, & in materia alia, quæ per modum actus, & potentiæ vniantur: sed sufficit una albedo ut totum compositum ex anima, & corpore sit album, ita similiter, non potest dari una quantitas in anima, & alia in materia quæ per modum actus, & potentiæ vniantur inter se: sed sufficit una in materia, ut denotet totum compositum quantum, ut in homine non est illa compositio ex quantitate corporis, & animæ, & tamen est tam completa quantitas corporea, & impenetrabilis, sicut in alijs rebus pure corporeis.

Denique, quia duæ quantitates duarum partium materiæ primæ sunt partiales, & ex illis resultat totum, & nihilominus sunt impenetrabiles, repugnantque esse in eodem loco, petuntque necessario duo loca partialia, & idem est de quantitate formæ materialis, sive substantialis, sive accidentalis, quod ex vi eius partes talis formæ habent eandem extensionem, & impenetrabilitatem inter se segmentum: ergo est Nominalium asserentium, ideo quantitates materiæ, & formarum penetrari, quia sunt partiales, & resultat ex eis totum, quæ ita completa quantitas solum repugnat penetrari cum alia totali, quod est falsum, nam homo non solum repugnat penetrari cum alio homine: sed etiam cum alia materia prima, imo cum quacunque partiali quantitate alterius materiæ primæ: ergo.

Confirmatur, quia si sub speciebus Sacramentalibus non esset quantitas substantiæ, ut commune subiectum, sequeretur, quod contrariæ qualitates non se mutuo expellerent contra experientiam, experimur enim quod quando introducit gradus caloris intensus expellitur frigus: atqui expelluntur propter oppositionem inter calorem summum, & frigiditatem summam: ergo signum evidens est versari circa idem subiectum. Patet hæc consequentia, quia non opposuntur, nec expelluntur se contraria, nisi versentur circa idem subiectum, ut indicatur in definitione illorum; quæ hoc declarat, contraria enim sunt, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt, nam calor, qui est in uno subiecto, & frigiditas,

Quæst. V. Vtrum mensura, vel divisib. &c. 585

giditas, quæ in alio est non se possunt expellere. Vnde si frigiditas esset per se sine subiecto, & calor esset per se, se haberent ac si in diversis subiectis reperirentur, vnde vna non expelleret aliam, quia omnis expulsio est, quia non possunt simul in eodem subiecto reperiri, sicut duæ quantitates, quæ in diversis locis sunt, non se expellunt donec in eodem loco reperiantur: ergo si experientia patet non posse hostiam consecratam simul esse summe frigidam, ac summe calidam, sed summum frigus expellere calorem intensum, signum evidens est versari circa idem subiectum, quod non est aliud nisi quantitas substantiæ, cum ipsa substantia destruat per consecrationem, & qualitates albedinis, saporis, &c. non sint subiecta per se caloris, & frigiditatis.

36 Deinde experimur etiam, vt optime notavit Albertinus, quod quando introducit unus gradus caloris, expellitur alius frigoris, expellunt autem se non propter oppositionem; experientia enim patet stare simul quando non exceditur latitudo vt octo, signum est igitur quod se expellunt, quia subiectum est limitatum, & non potest esse capax vtriusque qualitatis contrariæ, non enim potest dici, vt clare patet, quod respectu eiusdem loci illa contraria habeant repugnantiam inter se.

37 Dices Deum corrumpere aliam qualitatem contrariam ad præsentiam alterius.

38 Contra, quia gratis configitur ad liberam Dei voluntatem operantem contra naturas rerum, illa enim accidentia possunt realiter esse simul cum non habeant vim naturalem se expellendi.

39 Tandem, quia substantia non est per se sensibilis, sed per accidens, quantitas autem est per se sensibilis, idque multis sensibus, quam ob causam dicitur sensibile commune, albedo autem non est sensibile commune sed proprium, id est, quæ vno sensu cognoscitur, sed hoc non esset verum si entitas quantitatis esset idem cum substantia, & qualitatibus: ergo quantitas non identificatur cum illis.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta Adversaria dissolvuntur.

40 Ad primum argumentum patet, quæ sit ratio necessitatis multiplicandi quantitatem, & ponendi distinctam à substantia.

41 Ad secundum Respondeo substantiam esse susceptivam contrariorum, vt primum subiectum, quantitatem vero vt proximum.

42 Ad tertium admissio, quod separaret Deus substantiam à quantitate, negamus tunc fore substantiam vel materiam quantam. Ad probationem autem concedo habituram tunc illam substantiam partium distinctionem compositionem, & vnionem; concedo item, partes illius substantiæ cum distinctis, vbi conservari à Deo, vt ratio ibi facta probat, hæc tamen omnia non sufficiunt, vt substantia sit quanta, quia quantum est quod habet partes impenetrabiles, quas non haberet in illo casu substantiæ, ac proinde non esset quanta.

43 Ad quartum Respondeo cum Patre Suarez negando assumptum, impossibile est enim, vt in substantia materiali conservetur omnis forma accidentalis realiter distincta, quin maneat quantitas. R. P. N. de Penafiel. Theol. Schol. Tom. I.

ta, vt argumentum recte probat; quamvis autem Deus penetraret duo corpora in eodem loco non reddidit illa non quanta, nec ex duobus quantis facit vnum quantum, sed servata distinctione quantitatum constituit in eodem spatio sic ergo licet Deus corpus bipedale constitueret in spatio pedali non per condensationem, sed per partium penetrationem non redderet illud minus quantum, neque duas in vnum redigeret: sed in eodem spatio eas collocaret, quod longe diversum est, eademque responsio est de quacunque reductione corporis quanti, quantumvis magni ad brevissimum spatium, in quo sit aliqua extensio per partium penetrationem, de reductione autem totius quanti ad indivisibile spatium controversia est, an sit possibilis. Mihi tamen pars affirmans indubitata est supposito Mysterio Eucharistiæ, nego tamen substantiam sic constitutam in spatio indivisibili non fore quantam, nam corpus Christi quantum est etiam in Sacramento, licet sit etiam in puncto indivisibili, & ratio est, quia quantitas non est actualis extensio in spatio, sed aptitudinalis, & hanc retinere potest corpus, etiam si actu non sit in spatio extenso, vt optime probat Suarez in metaphysica.



QVÆSTIO V.

Vtrum mensura, vel divisibilitas sint essentia Quantitatis.

SECTIO I.

Sententia Adversariorum ponuntur.

PRIMA sententia asserit aptitudinalem mensuram esse essentiam quantitatis, ita Albertus Magnus, Caietanus, & alij, probatur hæc sententia.

Primo ex Aristotele 5. metaphysica, cap. 3. vbi a numerum, & continuum ait esse quantitatem si possent esse mensura; item hic in prædicamento quantitatis propter rationem mensuræ distinguit varias species quantitatis: ergo ratio mensuræ est de essentia illius ex Aristotele.

Secundo, quantitas ex sua natura est apta ad mensurandum, sed id quod convenit ex vi propriæ entitatis est essentia rei: ergo aptitudo ad mensurandum est de essentia quantitatis.

Tertio illa est essentialis ratio quantitatis, quæ communis est omnibus speciebus eius, & sub qua possunt adæquate distingui, & non sub alia, sed huiusmodi est sola ratio mensuræ: ergo in ea consistit essentia quantitatis.

Secunda sententia est aliquorum Thomistarum asserentium quantitatis essentiam consistere in divisibilitate, ita lavelius, 7. 20. Zonzinas, & alij apud Patrem Suarez, Scorus, & probatur primo.

Auctoritate Philosophi diffiniunt quantitatem per divisibilitatem; dicendo quantum est divisibile in ea quæ insunt, &c.

Secundo, quia id quod primo concipimus in quantitate est divisibilitas, & ratione eius cate-

Eccc ra